

quod uni extremerū non convenit; ut ebrietas non convenit vino, calidum esse convenit corpori, nō accidenti, & cruciari non convenit nisi animali. Est igitur fallacia comparationis, & quidem ex non minori tanquam minori, quā violatur canon: *Cui nō convenit absolutum, ei etiam nō convenit gradus comparativus vel superlativus.* Vulgo dicunt fallaciā à positivo ad cōparativum. 3. *Cùm pro maiore habetur, quod maior non est:* ut, cùm sacramenta verbo Dei præferuntur, & virtus intellectualis morali. Sic Pharisei pluris faciebant aurum templi, quām ipsum templum, & munus super altare, quām ipsum altare; Matth. 23. v. 16. 4. *Cùm pro minore habetur, quod minus non est:* ut cùm fides dicitur minor charitate, & Imperator comparatur Lunæ, Papa Soli.

III. Similium:

Fallacia si-

1. *Cùm similitudo manifestè claudicat: seu cùm pro simili- milium.*
bus habentur, quæ planè dissimilia sunt: ut, *Qui aurem aliquius tetigit, totum videtur eum tetigisse.* E. qui dolium vini aperuit, & parū vini inde abstulit, totum abstulisse dicetur. Ita Papa falsò se comparat Soli, Imperatore Lunæ. Pontificii S. Scripturā blasphemè comparant cereo naso, regule plumbeæ, fabulis Æsopi, cothurno &c. 2. *Cùm tanquam similia ponuntur, quæ sunt eadē, paria, vel imparia:* ut, si Pater & Filius in divinis dicantur ὄμοιςσι, non autem ὄμοιόσι. Sic, si quis dicat hoc esse argumētum à simili: Bestiæ suos partus diligunt. E. & parentes diligere debent suos natos. Est enim argumentum à minori. 3. *Cùm similitudo colorata, h.e. parum efficax, quæq; plus dissimilitudinis habet, ponitur pro plenâ:* h. e. cùm similitudo est obscurior, quām ut possit esse illustrando. Tales sunt illæ quorundā Scholasticorum: *Quemadmodū equus est utilis ad itinerandum: ita Logica est utilis ad disputandum:* *Quemadmodum ignis se non comburit, sed alia: ita sine Logicâ sciens ignorat sē scire:* *Quemadmodum ignis comburens suæ combustionis ignorat causam:* sic credentes aliquid scire sine Logicâ, causam sui sciti ignorant: *Quemadmodum cygnus suum æmulum habet aquilam, murem elephas: sic Dialectica habet suos æmulos.* Referri huc possunt septem congruentiæ Durandi, quibus probare vult septem esse sacramenta: Septem sunt planetæ, septem artes liberales &c. Ergò sunt septem Sacra menta.

Ll 4